Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 943
Quelle:
Copyright:



*faciem tuam* &c. Exhibet hanc *Breulius* p. 694. reliquas V. praemittit *Originibus*, uti Codex noſter, e quo tamen, ut nihil diſſimulem, folium unum cum maxima parte Epiſtolae III. excidit. Tam Epiſtolae, quam ipſum Opus non carent quidem mendis; habent tamen etiam, quae Editis praeferas, ut v. g. Ep. 2. *libros Etymologiarum — conſummatos* pro *librum — conſummatum*, *praecipiat conſeruari* pro *conſeruare*. Ep. 4. *dependo iura ſalutis* pro *deponendo*, *ut illum illi loco* pro *ut utilem illi loco*. Ep. 5. *ſpes non confundit* pro *confunditur*. Operis ipſius L. I. c. 1. *quia diſcitur plena* pro *quia dicitur plena*. c. 4. *alicubi nec vocalis eſt, nec conſonans* pro *alicubi nec conſonans eſt* &c. Capitum Elenchi ante ipſum Opus collectim, ut in Editis, non habentur, ſed tantum ſeorſim ſingulis Libris praefixi. Ad calcem litera quadrata: *Explicit Liber Aethimologiarum*, additumque minute inter lineas: *id eſt origo uocabulorum cum uis uerbi uel nominis per interpretationem colligitur*. Spatium folii, quod ſuperat, Librarius Animalium vocibus implevit, orſus: *Aquilas dicimus clangere*. Ex his deligam ignotiora: *Accipitres plipiare*, *Uultures pulpare*, *Anſeres gliccere uel ſelingire*, *Pauones paupolare*, *Anates teguuntiare*, *Palumbes paucitare*, *Graculos fringuelire*, *Nocturnos cubire*, *Sturdos pardare*, *Hirundines minurrire*, *Paſſeres tiziare*, *Onagros mugillare*, *Tigres racare*, *Urſos uncare*, *Linces yrcare*. Verum quibus iſthaec Autoribus?

## CCCCIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 271
Folior. 218. f. non una manu per duas columnas exaratus et rubricis illuſtratus continet *Iſidori Hiſpal. Libros XX. Etymologiarum*, Praeit Commercium ejus epiſtolicum cum *Braulione* Ep. *Caeſaraug.* VI. *Literas* complexum, quarum I. extat edit. *Pariſ.* 1601. f. p. 694. reliquae V. ipſis ibidem *Etymologiis* ſeu *Originibus* praefixae ſunt. Poſt eas continuo *Incipiunt libri yſidori Junioris* (in Chronico ejus ital. edito in Civitate Friuli, alias Auſtriae, ſeu Cividale 1480. dicti Menore propter Iſidorum antiquiorem, ut quidam volunt, Ep. Cordubenſem) *Spalen. Epiſcopi* (pro Hiſpalen. ut Spania, Σπανια pro Hiſpania) *ad Braulionem Cezar. Auguſtanum Epiſcopum uel ad Siſebutum dominum et filium* (ita hunc Regem Viſigoth. ante ſuum de Natura Rerum Opus compellat) *ſcribti. Vt valeas que requiris cito in hoc opere inuenire hec tibi lector pagina demonſtrat. De quibus rebus in libris ſingulis conditor huius codicis diſputauit.* Igitur Rubricam hanc excipit primo Argumentum omnium XX. *Librorum*, dein Capitum *Libri* I. atque iſtud ſingulis deinceps *Libris* praemittitur. *Libri* porro cum Editis rite conſpirant usque ad *Librum* XVIII. At is cum ſequente XIX. in tot diſſectus eſt

Lib-